



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

11. Conditiones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

*Syrenam* Cariæ civitatem ab ipso conditam, & denominatam à *Syrena* Dame-  
thi regis filia, quam tecto delapsam, misso ex utroque brachio sanguine,  
persanarit.

Quod Rex admiratus, generum sibi optavit, Chersonesō illi traditā:  
ad eo casus, in sublimem fortunam extulit medicum; de quo, eiūsque si-  
milibus dici possit illud 5. Æneid.

Attulit ipse viris optatum casus honorem.

Hippocrati, teste *Plutarcho*, corona aurea centum librarum è tota  
Græcia oblata est. Antonius Musa, quod Augusto Cæsari afflictum genu  
curasset, à Romanis statua ex alabastro donatus est. *Sueton.* in *August.*  
Recentioribus sæculis Petrus Apponensis, medicus Patavinus, ad Pontifi-  
cem Honorium accersitus, singulis diebus quadringentos coronatos, sala-  
rii loco accepit. *Philipp. Camerar.* Horar. subseciu. ccnt. i. c. 4. Lu-  
dovicus XI. Rex Galliæ, apud Cominæum historicum, medico suo men-  
struum stipendium decem aureorum millia dare solebat, sic ut intra quin-  
tum mensem illa ab eo quinquaginta quatuor aureorum seu coronatorum  
millia reportaret. Nunquid

Dat Galenus opes? & dat Galenus honores?

Quod Siracides confirmat cap. 38. *Disciplina medici exaltabit ca-  
put illius, & in conspectu magnorum collaudabitur.* Et meritò quidem suo.  
Nam ut Marsilius Ficinus ait: ars medica & divinitus accepta est, & di-  
vinitus exercetur.

XI. (1) Apud Pausan. in Corinth. Æsculapii simulacrum sedet in  
folio, scipionem tenens, altera manu draconis caput premit, cane ad pe-  
des decumbente. *Solium & virga* typus est imperii, quod medicus gerit  
in ægros: *Draconis* caput prudentiam significat, & venenum, cui domi-  
natur, imò quod in medicinam vertit. *Canis* fidelitatem denotat ægrotis  
adhibendam. Æsculapio *corvus* sacer, futurorum præfigurum indicat; ei-  
dem *gallus* immolari solitus, vigilantiam ostendit. Quibus virtutibus si  
prædictus fuerit, qui artem hanc profitetur, n̄ nos ipsum cum Æsculapio  
inter ordines deorum collocabimus. Æsculapii filiæ erant. *Panacea &  
Hygeia*, id est: morborum omnium remedium & sanitas. *Felix Medicus*,  
qui cum his conjungit nuptias; infelix, qui vel generat, vel sibi  
copulat, *Cacopharmacon* & *Libilitinam*, quæ, juxta  
Poëtas, non rarò epithalamium in epice-  
dium vertunt.

C C C 3

SYM-

(1) *Medicorum conditiones.*